



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivris Canonici

Andreas, Valerius

Francofurti & Lipsiae, 1720

Jus Civile Romanum sive Imperatorum, quod vulgo Leges appellatur,
conditum partim ante Divisionem Romani Imperii in Occidentale &
Orientale, partim post Divisionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63277](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63277)

JUS CIVILE ROMA-

NUM, quod post Divisionem Imperii
est constitutum,

Est

JUS OCCIDENTALE,

Et dividitur in

CONSVETVDINES FEU-
DALES

&

CONSTITUTIONES

GERMANORUM PRINCI-
PUM.

I. CONSVETVDINES Feudales
Cujacius in V. Libros partitus est. Alii (&
quidem communiter) ad DUOS saltem re-
ferunt, & alio nomine Collationem decimam
vocant.

Dividuntur autem hi libri in Titulos; Tit.
in cap. & §.

Et continent

CONSVETVDINES.

RESPONSA PRUDENTUM

ET

IMPERATORUM CONSTITUTIO-
NES.

D §

Con.

Consuetudines vero ideo dicuntur, quia moribus receptæ sunt, nec publica auctoritate, sed privata quorundam DD. industria, utpote *Gerhardi Nigri & Oberti de Otto*, inscripta redactæ. Et fuerunt eæ olim *Mediolanensium, Cremonensium, Placentinorum* vel alterius *Regni & Republicæ*. Hinc olim saltem in illis locis vim Legis habuerunt, et deinde mandato IMPERATORIS FRIDERICI *Junioris* in certos Titulos sunt digestæ & in IMPERIUM introductæ, ubi iam observantur; partim auctoritate Imperatoria accedente, partim longissimo usu (qui hominum memoriam excedit) confirmata.

Responsa Prudentum in *Libris Feudorum* reperiuntur & sunt dictorum *Gerhardi Nigri, Oberti de Otto & aliorum*. Et sicut olim *Responsa Prudentum* per se vim Legis non habuerunt, sed hanc primum ex JUSTINIANI *Imperatoris Constitutione* obtinuerunt (ut videre est ex *L. 1. § sed neque ff. de Vet. jur. et us.*) Ita quoque nec prædictorum *prudentum Responsa* per se, sed tantum ex approbatione *Imperatoris FRIDERICI & aliorum*, atque ex inveterato usu vim legis consecuta sunt.

Constitutiones vero *Imperatoris LOTHARII & II. CONRADI, HENRICI III. V. VI. & VII.* Item *FRIDERICI I. & II.* quorum in *Libris Feudorum* fit mentio, fit

omni exceptione ius faciunt. Quia quod-
cunque *Princeps* per *Epistolam* vel *subscriptionem*
statuit, vel *cognoscens* decrevit, vel de
re *interlocutus* est, vel *edicto* praecepit, *legem*
esse constat *lib. 1. §. 1. ff. de Constit. Princip.*

FEUDUM autem unde dicatur, non
concordant DD. Nonnulli dicunt esse vo-
cabulum *Gothicum & Longobardicum*, de-
ductum fortasse a Germanica voce *Feedi*
bellum significante: Prædia enim bello oc-
cupata, & a victoribus militibus suis tradita,
Feuda dicebantur. Vel a *fide & fidelitate*,
quæ *Longobardis & Italis* fede dicitur: de
quo *Olbrecht* prolixius in *Disputatione de Feu-*
dis prima; qui ibidem *Feudum* definit, quod
sit Jus, sub mutuae fidei conditione in rebus
immobilibus, certo modo utendis, fruendis,
constitutum.

In allegationibus.

Vel ponitur primo Nomen Libri, postea
Titulus, deinde caput & §. Ut: *in usib. Feud.*
de prohib. Feud. alien. per Frid. c. 1. §. hac edi-
dictali. h. e. In Usibus Feudalibus, in titulo,
de prohibita Feudi alienatione per Frideri-
cum, capitis primi §. *hac edictali.* UBI
NOTA. Quia hic apponitur Nomen Fride-
rici fit ad differentiam alterius Tituli in eod.
libro de prohibita Feudi alienatione per Lo-
tha-

tharium.) Vel postponitur Nomen Libri, ut c. 1. de Feud. March. vel Ducat. in *Ufibus Feud.* Multi Modernorum ita allegant. 1. Feud. tit. 14. §. ult. de Feud. March. h. c. Primi libri Feudorum tit. 14. qui est de Feudo Marchiæ §. ultimo. Item: 2. Feud. tit. 34. de Lege Conradi in princip. tit. Item: lib. 1. Feud. tit. 4. si de invest. Feud. contrav. fac. §. cum autem. It. 1. Feud. 8. de success. feud. §. 1. & 2. Et similia.


II. CONSTITUTIONES Germanorum PRINCIPUM partim sunt inserta in Libris Feudorum (de quibus iam mentio facta) partim per se posita. Quae per se posita sunt vocantur *Extravagantes*, quia vagantur extra Libros Juris. Quas enim *Græci* *ἐξωγράς*, *Latini* *Novellas*, *Barbari* *Extravagantes* vocant, una Authoris Jussu, hoc est, FRIDERICI Imperatoris, in Codice posita est, sub Titulo *ne filius pro patre*: reperiuntur tamen & inter reliquas C. *Authenticas* quaedam ex istis *Extravagantibus* desumpta. Sunt autem Germanorum IMPERATORUM


constitutiones sequentes.
 CONSTITUTIONES FRIDERICI
 HENRICI VII. EXTRAVAGANTES
 DUÆ. ET LIBER DE PACE CONSTANTIÆ.


Et tantum etiam de Iure Civili.

Qui prolixio-
 rem Juris Utriusque dispo-
 sitionem & Titulorum
 omnium seriem, nec
 non materiarum expli-
 cationem desiderat,
 consulere potest præ-
 ter alios Oeconomiam
 Juris VVesenbergii; hæc
 autem pro instituti no-
 stri ratione suffi-
 ciant.

FINIS







1. I
 2. I
 3. I
 4. C
 5. S
 6. H
 7. A
 8. R
 9. S
 10. C
 11. C
 12. C
 13. C
 14. C
 15. C
 16. C
 17. C
 18. C
 19. C
 20. C
 21. O
-
1. D
 2. Q
 3. Si
 4. D
 5. Si
 6. In
 7. N